



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1650.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

ingenti virtute & felicitate fundunt fugantesque 300 Cosackorum & Tartarorum milia, coguntque Cosackos ad acceptandam pacem legibus, quas victores victis dictare solent.

Norimbergæ incipit tractari ab Ordinibus Imperii de executione pacis. Expediturque mense Novembri diploma de facienda militum exauctoratione.

Sacræ Reliquiæ Ss. Cosmæ & Damiani, quæ asportatae erant mense Mayo ex Bafilia Bremensi Monachium opera Maximiliani Electoris, transferuntur mense eodem pompâ splendidissimâ ex sacello Aulico in templum Collegii Monacensis Societ. Jesu, curationes prodigiosas ope illorum factas Monachii refert Author Annal. Boicorum. Monacenses certè suffocatam Monachii in tempore pestilitatem adscribunt planè invocationi beatorum Medicorum Cosmæ & Damiani.

ANNUS 1650.

Celebratum est hoc anno Jubileum Romæ magno Christianorum concursu; ibidem damniata pax Germanica, qua natus Electoratus erat constitutus, & Ecclesiæ bona alienata, quæ fieri debuisse, se incoactus, negavit Pontifex,

Lon-

Londini dejectæ sunt Jacobi & Caroli statuæ , ut Regiæ tyrannidis monumenta. Affecti insuper supplicio , aut acti in exiliū, qui Regiæ authoritati favere videbanrur.

Scoti declarati hostes Reipublicæ Angli- canæ , victique acie à Cromvelio fugere Sterlinum, ab eodem occupatum Edimbur- gum.

In Gallia Princeps Condæus cum Prin- cipe Contio & Duce Longavillæo tanquam nova molientes jussu Reginæ & Ducis Au- relianensis comprehensi & in custodiam dati, frustra Turenio Principum libertatem armatis precibus postulante ; victus enim, fugatúsque à Mazzarino Marte cruento ad Rethelium didicit de se deinceps quam de captis sollicitior esse.

Veneti feliciter certant in Creta adver- sus Turcas, & Hispani contra Gallos, eisq; extorquent Dertosam, Populomum & Por- tum Longonem.

Cæsar tertiiis nuptiis ducit Eleonoram Gonzagam sororem Ducis Mantuæ.

Madriti suscipitur ingenti pompa Cæsa- ris filia, Maria Anna, Regi Hispaniarum Viennæ despota, eò majori gaudio His- panorum & Germanorum , quod Domus

E 4 Austria-

Austriaca his nuptiis firmari videretur, & adversus potentissimos adversarios communiri.

Mense Octobri coronata est Christina Regina Sueciæ, magnificentissimè explicatis Germaniæ spoliis; huic destinabatur sponsus Carolus Gustavus Palatinus; sed quia hæc cælebs vivere decreverat, idem destinatus ei successor.

ANNO 1651.

Carolus II. Rex à Scotis coronatus cum numeroso exercitu contendit in Angliam adversus Cromvelium; sed ab hoc victus profligatusque cum universa pene nobilitate Scotiæ, fugit mutato habitu Vigornum, & inde in Galliam.

In Anglia multi Catholici in odium fidei Orthodoxæ occisi, quos inter eminuit Episcopus Ronensis, qui etiam exsectâ lingua perrexit prædicare veritatem Catholicam; quo miraculo insanentes hæretici cor Mar tyri a pectore abstraxere, quod ad semihorâ quasi nova lingua palpitavit.

In Gallia captivi Princes opera Parlamenti dimissi custodiâ redeunt Parisios, ibique magno plausu excipiuntur. Mazza rinus vero jussu Reginæ vi & armis adversario-